

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
SCIAGRAPHIAM STUDII MEDICI

CUJUS PARTEM PRIMAM
IN CÆSAREA ABOËNSI UNIVERSITATE,
ANNUENTE INCLYTO MEDICORUM
ORDINE,

PRÆSIDE

D. GABR. ERICO HAARTMAN,
*Med. Pract. Prof. Publ. & Ord. Ordin. Imperial. S. Annæ in
secunda & S. Wolodim. in quarta Classe Equ. Aurat.
Reg. Acad. Scient. & Societ. Patr. Holm. atque Oecon.
Fenn. Membro, nec non Imperat. Med. Chirurg.
Petropol. Academicæ Correspondente,*

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
PUBL. DEFERT CENSURÆ

JAC. WYLH. RUDOLPHI

S V E C U S,
*Ad Divisionem Exercitus Reg. Sueco-Fennici Boreal.
Primam Medicus a. h. Primarius,
Stipendiarius Bilmark.*

In Audit. Medico d. XVI. Junii MDCCCX.
h. a. & p. m. s.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

С Т Е А Т Р А З В Е Г И

А Д І С К І В І А К І В І А

І С І В І А

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І
С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І

С Г А Г Р А Ч А І А Н Г Е Л І І М О Н І



O Bios Βραχύς, ή δὲ τέχνη μακρός.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ.

Quanto certius ab omni inde constituit ævo, ambitum artis salutaris, sive innumera species ægritudinum ac cruciatuum genera, quibus modo lente sensimque, modo subito humanum corripi solet affligique corpus, sive rerum cognoscendarum ac periculorum instituendorum copiam, non modo amplissimum esse, sed etiam ad pervestigandum difficultimum, tanto sane prudentiore & circumspectiore opus est studiorum ad Medicinam faciendam adhibendorum distributione ac dispositione, ne frustra breve atque irreparabile pereat tempus. Neque enim sufficit sola præcepta theoretica, optima licet serie ac arctissimo nexu proposita, attento collegisse animo, nisi frequens ulus, qui omnium Magistrorum præcepta superat, acceserit; vère namque CICERO: nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt; neque etiam solus usus omnem artis Medicæ apparatum expeditare potest, siquidem occasio præcepit, experimentum periculosum,

A

losum, judicium difficile (a). — Hisce ideo æqua lance pensatis, nemo non videt, utraque ista subsidia indefeso studio esse conjungenda; at ita tamen, ut, quamvis divus quondam HIPPOCRATES in libro de decenti ornatu monuerit, pleraque (mata) non ratiocinatione sed auxilio indigere, auxilia adhibenda præcedere debeat ratiocinatio, non quidem vana illa figurantis abstractis & sœpe mysticis innixa, sed justa ista solaque laudanda quam inductionis via per experientiam esse comparandam Cel. jure Ivasit ZIMMERMANN (b). Laudabilem itaque navasle operam ii sane censendi sunt egregii viri, qui optimam hanc ad medicinam instruendam regendantque jam dudum monstrarunt viam; CASPARUM BARTHOLINUM loquimur, DAN. SENNERTUM, PETRUM CASTELLUM, LINDENIUM, JO. RHODIUM, GEORG. FRANCUM, HERM. BOERHAWE, JOH. DE GORTER, LAUR. HEISTERUM, et ceteri veteristiores Auctores. — Mutata vero jam facie litterarum in genere & speciatim Medicinæ, parum hodie prodesse eorum scripta, hoc saltem respectu, facile quisque perspicere poterit, qui vel paululum eadem evolvere cupierit. At vero cum haud desint recentiorum temporum scriptores, qui hocce pertractarint argumentum, inter quos primo loco nominandum esse putamus Cel. ERN. PLATNERUM (c) etiæ utiles quoque Cel. JOH. DAV. HAHNII (d), J. GREGORY (e),

Tis-

a) HIPPOCR. Aphor. I.

b) von der erfahrung.

c) Program. IX. Medicinæ studium octo semestribus descriptum. Lipf. 1797 — 1799.

d) Oratio de Medico speculatore. Lugd. Bat. 1775.

e) Vorlesungen ueber die Pflichten u. eigenſchaften eines Arztes, aus dem Engl. Leipz. 1778.

TISSOT (*f*), REUSS (*g*), S. G. VOGEL (*h*), PLOUCQUET (*i*), BURDACH (*k*) cet. in eundem tendentes finem libellos Medicinae alumnis commendare non dubitemus, ne superfluum plane hoc nostrum sit futurum & ab iniquioribus saltem censeatur judicibus opusculum veremur, utpote quia non nisi novas, sive opinionum atque dialecticarum demonstrationum expositiones, sive calum singularium collectiones iis placere praesentis temporis fvatet indoles. — Considerata vero non modo raritate istorum librorum sed etiam utilitate ipsius argumenti, non dubitavimus, specimen edituri Academicum, nostras qualescumque in hoc scribendi genere periclitari vires, Opel-lamque hancce, quam omni, quo par est, verborum honore L. B. oommendamus, in variis saltem quæstionibus a prædecessoribus discrepantem, junioribus præsertim tanto confidentius communicare collegis, quanto certius propria persuademur experientia, haud levem ex justa studiorum directione redundare utilitatem. Argumenta autem hujus opellæ ita disponere constituimus, ut Sciagraphiam totius studii Medici pri-mum tradere, postea vero de methodo atque serie summatim disserere adnitamus.

A 2

Ut

- f)* Essai sur les moyens de perfectionner les études de Médecine. à Bale 1785.
- g)* Primæ Lineæ Encyclopædiæ & Methodologiæ universæ scientiæ Medicæ &c. Tübingæ 1783.
- h)* Kurze einleitung zum gründlichen studium der Arzneinwissen-schaft. Stendal 1791.
- i)* Der Arzt. Tübingen 1797.
- k)* Propædeutik zum Studium der gesammten Heilkunst. Leipzig 1800.

Ut vero facilius atque evidenter eruatur, quid Medicorum futuro scitu sit necessarium, paucis praemittere juvat, quid sit ejus officium, quis scientiam Medicorum scopus, quidque praeterea ad hujus studii generaliorem pertraditionem pertineat, ex quibus scilicet prolegomenis apparebit, nos nec supervacaneorum rerum disquisitiones nec frustraneos labores fore commendaturos.

Medicinam esse scientiam, quae tradit prosperae hominum valetudinis conservandae, sanitatisque amissio restituendae precepta, non tantum vulgaris svadet loquendi forma, sed etiam Medicorum ab antiquissimis inde temporibus ratio muneris. Quamvis namque vulgari feratur adagio, sanos non egere Medico, evictum tamen esse in morbis praecavendis atque avertendis haud insimam muneris Medicorum consilere rationem non sine jure putamus. Haud immerito itaque accusandus est C. L. RÖSCHLAUB (*l*), qui priorem illum Medicinæ finem plane omisit, quasi conservatio sanitatis ad Medicinam non pertinet, vel quasi conditiones sanitatis ex Medicinæ preceptis non essent explicandæ. Alia vero, eaque multo vehementior versus medium mox præterlapsi loculi inter Medicos ac Chirurgos Galliæ præsertim agitata erat controversia de Medicinæ objecto, ut vocant, utrum scilicet solas internas corporis humani comprehendenderet affectiones, an vitia quoque exterra ejus essent indolis, ut iis salutiferam apponere possent Medici quoque medelam; quam vero questionem plane inutilem esse quisque senioris judicij estimator declarare non dubitabit (*m*); me-

l) Pathogenie i Th. p. 3.

m) Cfr. Nouveau plan de constitution pour la Médecine en France présenté à l'Assemblée Nationale par la Société Médicale de Paris.

merito itaque Ill. quondam monuit PLATNERUS (*n*) ita connexas esse Medicinam ac Chirurgiam ut ex toto separari minime possent. Quamobrem non potuimus non Chirurgiam ad Theatrica partes ex mente antiquissimorum auctorum (*o*) referre. Præter jam memorata Medici officia, accedit tertium forensè vulgo appellatum, quo eum ad causas in criminali foro sive etiam civili dijudicandas fungi oportet, cujusque officii in quavis republica bene constituta, magni omnino aestimandum est pretium. Sensu quidem latiori omnes complectitur Medicina doctrinas, quæ in memoratum ejus tendunt finem, quamobrem haud improbandam esse putamus Cl. REUSS (*p*) definitionem: "Medicina est scientifica corporis humani omniumque salubrium & noxiarum rerum, quæ in hominem agunt, cognitio," unde sine difficultate mox patet, quanta sit hujus scientiæ amplitudo quamque indefessi desiderentur labores ad eam pervergandam. Moneri autem oportet eos quoque existisse, qui scientificam formam a notione Medicinæ plane separare voluerint, eam quidem ob causam, quia ex testimonio vetustissimi Auctoris, HIPPOCRATIS, Medicinam non nisi artem vel habitum esse adminicula rite adhibendi sanitatis s. tuendæ s. recuperandæ statuerint, unde magna non lemel oborta fuit controversia, utrum Medicinæ dignitas competit scientiæ, an vero artis tantummodo ipsi tribuenda sit laus. Quam vero litem velut ridiculam atque absurdam aliis dirimendam relinquimus, id tantum observaturi quascunque scientias practicas ejus esse indolis ut, quamvis artis nomen certo respectu adipiscantur, prin-

n) Institut. Chirurg. ration. p. 3.

o) C. CELSUS in Praef. Lib. I.

p) I. c. p. 3.

principiis tamen atque præceptis innitantur generalioribus, quæ & debent & posunt methodo Philosophica erui atque explicari, ita ut promptius tutiusque fiat artis exercitium. Quæ itaque vulgo Medicinæ tribui solent Synonyma: *Ars Machaonia, Apollinaris, Pæonia, Hippocratica & q. s. c.* ad ejus dignitatem potius defendendam atque augendam, quam ad infringendam, infervire nemo dubitare potest, siquidem artem significare talis videatur denominatio Divinam absque ratiocinatione & consilio minime præsumendam.

Ipse autem finis Medicinæ præstantiam atque utilitatem ejus adeo dilucide probat, ut omnes hac in quæstione ab iustis objurgatoribus propositas objectiones, meras esse immetritasque calumnias, vel inde pateat, quod, quamvis quisque conservandæ valetudinis optimus plerumque ipse sit auspex, dummodo scilicet ad effectus utilium ac nocentium impressorum in corpus suum probe attenderit, amissa sanitate corporis doloribus ac functionum læsionibus flagitato, nemo auxilia atque sublidia ejus recuperandæ, pertinaciore licet artis salutaris contemtu captus, respuere vel aspernari audeat aut valeat. Haud igitur incommodè ad Medicinæ laudem traduci potest, quod alio quidem, nec adversante tamen nobis, sensu dixit quandam CICERO: *homines ad Deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus dando (q).* Qui vero hæc præconia jure quodam mereri velint Medicæ disciplinæ Magistri, optimis erunt animi ingenique dotibus prædicti, ideoque non modo ad consilium capiendum prompti & ad agendum expediti, sed etiam naturæ mysteriis ac sacris tempestive initiati, nec non morum honestate ornatisimi (r). Ne in his vero defi-

q) Oratio pro Marcello.

r) Ne in hoc argumento describendo nimis videamus, sufficiat manusse, id in libro supra citato Cel. Gregory adeo concinne atque

deficiat futurus Medicus, summa ipsi opus est diligentia atque industria, non modo ad disciplinas artesque varias, quibus felix muneric exercitium nititur, discendas, sed etiam ad animi culturam politiorem sibi comparandam. En igitur Elenchum scientiarum futuro Medico utilissimarum & quibus ægre admodum carere potest.

PARS I. MEDICINÆ PRÆCOGNITA s. Disciplinæ præparatoriæ vel Propædeuticæ (s).

I. *Philologia & linguarum tam veterum quam recentiorum cognitio* cum necessariis Grammatices præceptis conjuncta. In sublidiis hisce cuiuscunque cognitionis humanæ generi apprime necessariis commendandi prolixum esse hac occasione tanto minus decet, quanto evidentior hæc veritas hodie ab omnibus sine dubio habeatur. Id tantum admoneri instituti ratio jubet, linguarum notitiam veram esse scientiarum quasi referandarum clavem, & propterea non modo plerasque gentium hodiernarum saltem politiorum esse addiscendas, sed etiam *Graecam* atque *Latinam*, quarum hanc quidem omnibus eruditis velut communem ac familiarem summæ auctoritatis viri Medicis quoque tamquam absolute necessariam optimo commendarunt jure. Illius quidem non adeo absoluta est necesitas, quin eadem carere possint Tirones Medicinæ, Latine scilicet translatis

egregie esse pertractatum ut eum omnibus Medicinæ alumnis enixe commendare non dubitemus.

s) In hac Classe ea tantum commemoravimus, quæ tantum præparandi quasi ediscantur causa.

tis Græcorum fere omnibus operibus Medicis (*i*); verum nihil minus Græcas litteras magnam omnino afferre utilitatem ii haud dubitatunt, qui quot hujus prosopis termini in scientia occurrant Medica, quamque facile sit lingua Græca calenti eosdem & intelligere & memoria tenere, haud ignorant. Fuerunt quoque, qui neque *Arabicæ linguae cognitionem supervacaneam esse statuerint*, ea autem in re nos a Cel. quondam REISKE (*ii*) dissentire fateri oportet, non quasi plane inutilis eslet, sed quia nimium faceret temporis dispendium ad alia edilcenda maxime necessarii.

2. *Litteræ humaniores* ad hominum culturam atque expositionem adeo sunt necessariae, ut iis carere Medico esset non minus inhonestum quam noxiū. Huc autem referre oportet *Historiam tam generalem quam specialem*, in primis patriæ, *Geographiam tam politicam quam præsertim phylem* (*v*), *Cosmologiam* nec non *Grammaticam & Rhetoricen*, quarum, præcipue non tantum ad styli negligentiam præcavendam, sed etiam ad necessarium ornatum ac decorem ipsi, ut pote Medicis quoque utili, conciliandum summa est necessitas,

3. Philo-

- i)* Verum quidem est, multo magis proficuum esse, ipsos fontes quam solas versiones latinas consulere, sed qui in practicum tantummodo usum HIPPOCRATIS præsertim opera convertere velit, hisce versionibus uti desiderato cum fructu poterit.
- ii)* Orat. studium Arab. Linguae commend, dicta quum is munus Professoris Arab. lingue Publ. Extr. in Acad. Lips. d. 21 Aug. 1748, auspicaretur, a pag. 245 ad 259.
- vi)* Quam necessaria Medico sit Geographia physica vel inde patet, quod præter morborum endemicorum inde deducendam rationem multa quoque alia naturæ phænomena, ipsi utilissima, eadem explicet atque clucidet.

3. Philosophiam, quæ, utpote eius primarius finis est veritatis cuiuscunque indagatio atque disquisitio, rite adhibitura tissimum exhibet Medicæ quoque artis fulcrum ac fundatum, accuratissima diligentia atque summa sedulitate esse addicendam nemo est, qui non videat; nam illi. quondam & summæ auctoritatis viri SYDENHAM verba, quæ quidem reprehendere videtur Cel. HAHNIUS (*w*) quibus in Epistola ad SHORTUM (*x*) omnem speculationem in rebus Medicis improbare videtur, strictissimo sensu minime esse sumenda, sed quantum a vanis inutilibusque speculationibus Medicos dissuadere voluerit (*y*), inde quoque fatis elucet, quod ipse SYDENHAM HIPPOCRATIS, quem Medicinam cum Philosophia primum conjunxisse notum est, medendi rationem philosophicis sane principiis innixam adeo accurate erat secutus, ut alterius Hippocratis nomen ipsi unanimi eruditorum consensu datum sit. Cum autem, nihil in Medicina magis esse noxiū, quam subtiles istas atque spinosas fere Scholasticorum s. vetustiorum s. recentiorum distinctiones ac definitiones, nec non Dialecticorum tortuosas atque anfractuosas expositiones, quotidiana doceat experientia, probe cavendum est, ne ejusmodi meræ speculationis infructuosis blanditiis inducēant tirones Medicinæ. Primum itaque diligens erit Matheseos studium, quia mathematica methodus, utpote ab hypothesis & præoccupatis opinionibus libera, ab ipsis scopulis Medicum quoque optime defendit (*z*). Deinde autem assidua quoque adhibenda erit Logica.

B

gices

w) l. c.*x)* Traictatui de Podagra & Hydrope præfixa.*y)* Vid. Oper. Ed. Gen. T. I. p. 301.*z)* Iatromathematicam doctrinam nosmet non idem commendatorem esse fatemur, & ex sequentibus patet.

gives addiscendæ cura, utpote quæ & tuto ratiocinandi & promte judicandi justam exhibeat normam ac rationem. *Psychologicæ* porro tanto sollertia rem impendet futurus Medicus operam, quanto utilior est ea doctrina non modo ad explicandum atque intelligendum mirificum, quod inter animam & corpus exstat, commercium, sed etiam ad cognoscendos atque medendos ipsius animæ morbos, nam neque animorum nulla est medicina, ex principiis tantum psychologicis feliciorem pollicens sucesum. *Moralis* denique *scientia*, quæ certa tradit officiorum fundamenta, atque *Ethica*, cuius ad vitæ mortuorumque honestatem magna est vis atque auctoritas, quantum Medico profint futuro, facile perspicet, qui ad gravitatem muneris Medici & officiorum ipsius vel leviter attenderit (aa).

4. *Historiam litterariam* multis nominibus futuro Medico commendabilem esse nobis persuadet non modo ejus ad ceteras disciplinas propædeuticas insignis usus, sed etiam Medicinæ ad Philosophica cujusvis temporis dogmata accommodatio (bb) pragmaticæ litterarum historiæ ope unice expli-canda.

5. Ex *Artibus liberalibus* Pingendi in primis exercitium magnopere commendare non dubitamus, quia multas observationes visorum singularium rariorumque ea ratione in aliorum utilita-

aa) Etiam hac de re legi meretur Cel. GREGORY I. cit.

bb) Cf. Heckr Die Theorien, Systeme und Heilmethode der Aerzte seit Hippocrates bis auf unsere zeiten p. 4.

utilitatem conservare Medico licebit. Eandem ob causam *Ars* quoque *sculpendi* haud exigui est usus. *Mechanices* porro quidam usus est præsertim Chirurgis atque *Obstetricibus*, utpote quorum ars instrumentorum forma ac vi permultum adjuvari solet. Neque inutile esse *Musicæ artis* exercitium judicabunt, qui quantum ad delectandum & ad defatigatæ mentis refectionem atque exhilarationem efficiat, fuerint experti. De cætero cum *Cel.* *Tissot* (l. c.) utilibus jucunda esse conjungenda, junioribus saltem studiis haud immerito svademuſ ut sit mens tana in fano corpore,

PARS II. SCIENTIÆ AUXILIARES, quæ, siquidem rerum mundanarum naturam explicant atque exponunt, mendendi quoque artem proprius spectant & Medico futuro viam quasi sternunt planiorem, atque adminicula ipsi exhibent sanitatis tuendæ & restituendæ, quamobrem sine his medendi artem valde hallucinari facile appetet. Huc autem referendæ sunt sequentes doctrinæ:

1. *Historia naturalis*; quo nomine doctrinam significant recentiores, quæ characteres tradit ac signa, quibus a se invicem dignosci posunt corpora, naturæ vi in hoc mundo progenita (cc). Huc tres partes referri solent:

B 2

A) Mi.

(cc) Ex his patet corpora arte facta Historiæ naturalis objectum non exhibere.

A) *Mineralogia s. Oryctologia*, quæ cognitionem exhibet corporum inorganicorum vel quæ vita carent (dd).

B) *Botanica s. Phytologia*, quæ plantarum pertractat insidolem atque diversa genera.

C) *Zoologia*, quæ animalium naturam tradit ac diversitates.

Alia quidem aliis placuit addere regna naturæ (ee); cum autem corpora, quæ iis annumerantur, quasi elementa, quibus naturæ producta sunt, ac prima rerum stamina constituunt, eorum pertractionem ad phyllices doctrinam potius referre non dubitavimus. Quam autem necessaria sit futuro Medico ista regnorum sic dictorum naturæ cognitio vel ex eo patet, quod inde prima Physiologie, cujus necessitatem mox explicabimus, eruere fas est rudimenta. Ad intelligenda etenim mirifica vitæ phænomena, requiritur, ut catena, si hoc verbo uti liceat, qua corpora organica cum inorganicis, vel organica simplicissima atque haud raro minutissima cum prodigiosis avium, animaliumque corporibus, stupenda admirabilique serie cohærent, quamvis characteres proprietatesque probe distinguendas admodum dissimiles habeant membra catenæ.

2. *Phy.*

dd) Novimus quidem recentissimis nostris temporibus fuisse Scriptorem Cel. scilicet MÜLLER, qui in *Introductione ad librum*, cui Titulus: *System der gesammten Heilkunde nach des Erregungstheorie*, IV. Bände, Leipzig 1803 — 1809. nos de vita in Regno animali obvia propter defectum observationum judicare non posse fraterit; at hac assertione a vita mineralis abneganda minime disfaveri nosmet ingenue fatemur.

ee) Regnum Aqueum WALLERIUS, Igneum DANSO, Medium MÜNCHHAUSEN, Materiale TITIUS, Aërum WIEDERMANN.

2. *Physica*, sive *doctrina*, quæ tradit corporum phæno-
mena mutationesque, quales in nostris cadunt sensus, quæque
etiam in causis phænomenorum indagandis atque exploran-
dis versatur, eo magis futuro Medico est necessaria quo ar-
ctiora sunt vincula quibus phænomena naturæ eorumque cau-
sæ necuntur; præterea cognitione naturæ universæ cum na-
tura humana, multa ad intelligendum statum corporis humani
morbosque ad indagandos remediorum salutares effectus
sunt evidenteria ac magis perspicua. Quamobrem optimi
semper Medicinæ Doctores suis transferunt discipulis, ut huic
scientiæ omnem navare operam haud recusarent. Ratione
methodi binas habet Physica partes: mathematicam unam,
experimentalem alteram.

A) *Physica Mathematica* experimentis quidem plane ca-
tere nequit, sed strictius ex præceptis mathematicis ac mecha-
nicis magnitudinem motuum & effectuum metiri atque eorum
ad causas suas rationem explicare conatur. Multa vero in
hic disciplina Medico esse perquam utilia nemo dubitat, qui
ejus ad explicanda visus, auditus motusque tam muscularum
quam reliquorum organorum, & quæ sunt ceteræ, phænôme-
na non plane ignoraverit necessitatem. Caveat tantummodo
necessæ est, ne phænomena corporum organicorum ex his i-
pis principiis mechanicis solummodo semet explicare posse
credat.

B) *Experimentalis* ea Physicæ vulgo dicitur pars, quæ
docet rationem experimentorum, quibus proprietates corporum
eorumque mutua ratio intelligi possit; unde mox apparet
quantus sit ejus in Medicina usus, siquidem ex phænomenis,
per ista experimenta observatis, multa in arte Medica prolu-
xisse commoda observatum est.

Utramque istam Physices partem autores hujus argumenti modo conjunctim modo separatis pertractare solent, quicquidem egregia exstant opera, quae Opticam e. g. tantum explicant, alia, quae non nisi ignis vel aëris mirifica commemorant phænomena & sic porro; quod quidem ideo adnotari voluimus, quia quasdam Physices partes tamquam Medico speciatim proficuas (*ff*) enixius commendare oportet.

3. *Chémia* (*gg*) quæ partem efficere physices merito dicitur, utilissima lane atque maxime necessaria est Medico futuro, siquidem dogmata tradit mutationum in corporibus obviarum ab elementorum, quibus constant, mutua attractione vel repulsione explicandarum, quamque ideo in examinanda corporum analysi & in disquisiendis principiorum qualitatibus, viribus atque effectibus utilissimam esse per se liquet. Quatenus præcepta tradit generalia, quibus corporum elementorum venientuntur compositiones ac disjunctiones *Pura* dicitur f. *Philosophica*, eaque Medicis in primis est necessaria, ratione vero diversitatis corporum, quæ examini subjiciuntur chemico, diversas habet *Chemia applicata* (*hh*) partes diversis distinctas nominibus: Halurgiam, Lithurgiam, Hydurgiam, Phlogurgiam, Zymotechniam, Metallurgiam cet., quarum aliae magis, aliae minus, prout materies tractanda Medicinam plus vel minus concer-

ff) Huc merito referimus Opticam, Acusticam, Doctrinam de Electricitate, Galvanismo, Aëre &c.

gg) Ab auctore, quem suspiciti antiquitus fuere, Ars Hermetica jam dudum appellabatur; minus vero recte Spagyrica quoque olim dicebatur quia solius ignis ope corporum partes constitutivas credebatur posse erui.

hh) Ejus finis est, ut ipsa experimenta, quibus corporum sunt exploratoriae specialius delineantur atque explicitur.

cernit (*ii*), Medico sunt necessariæ. Nullam autem Chemiæ partem Medico esse utiliorem præstantioremque, quam Zootiæ s. *Animalem*, hoc nostro recentiori ævo, opera FOURCROY & VAUQUELIN primum quasi conditam, postea vero laudatissimorum aliorum virorum opera ulterius elaboratam, per se patet, utpote qua abstrusissima Physiologiæ areana paululum faltem revelata fuisse novimus.

4. *Pharmacologia*, quam etiam *Materiam Medicam* appellare solent, sive doctrina Pharmacorum (*kk*) historica, partem quidem efficit Historiæ Naturalis, ejusque fundamentis tota nititur; cum autem seorsum pertractari solet, seorsum quoque nobis videtur esse commemoranda. De necessitate eius ad Medicinam faciendam, ne inutilis prolixitatis rei videamur, id tantummodo monere liceat, disciplinam hancce primarium exhibere Therapiæ fontem, unde hauriantur, quibus ægritudines removeri possint hominum, remedia, ideoque non tam proficiam esse quam absolute necessariam. Argumenta autem sequentia pertractat: 1:o Nomina atque Synonyma Pharmacorum; 2:o Characteres atque criteria; 3:o Originem; 4:o Conservationis modum; 5:o Qualitates & formam externam; 6:o Principia constitutiva; 7:o Rationem agendi; 8:o Qua forma

kk) Probe esse cavendum, merito nosmet monere operet, ne ex mixtione atque attractione elementorum in corporibus inorganicis ad phænomena corporum organicorum aliquis se jure quodam generatum concludere posse credat.

kk) Bromatologiam ideoque s. alimentorum doctrinam à Materia Medica esse sejungendam putamus, licet haud pauci utriusque per trattationem in uno eodemque absolverunt opere e. g. CULLEN A treatise of the Materia Medica in two Vol. Edinb. 1789. Arnestans praktische Arzneymittellehre, Göttingen 1801. cest.

forma commode adhibeantur; 9:º Usu, qui tamen ex præceptis therapeuticis melius intelligitur.

5. *Pharmacia vel Pharmaceutice* eam quidem constituit Chemiæ applicatae partem, quæ pharmaca proprius respicit, id-
eo vero quoque seorsum est non modo hoc loco enumeranda,
sed etiam in Icholis addiscenda, quia & separatim pertractari
solet, & certo respectu primaria continet Medicinæ facienda
subsidia. Quoniam etenim Pharmaca, quorum cognitionem hi-
storiæ mox nominata tradit disciplina pharmacologica, non
modo conservari, sed etiam corrigi atque præparari & ad au-
gendas vires cum aliis milceri necesse est, hæc omnia, utpote
quæ in Pharmacia pertractantur, probe cognoscere Medicam de-
bet. Primo nempe ipsi est observandum, ut pharmaca adhibe-
at rite conservata, ut eorum principia activa ab inutilibus te-
parentur, vel admixtis efficacioribus adjuventur, ut quantum
virium justa estimatio permittat ingratæ corrigantr faculta-
tes, atque deum, si aliqua iis inest vis deleteria, ea, si re-
moveri non poslit, ita temperetur, ut desideratus obtineatur
effodus. Ex jam allatis facile patet, methodum, quam seor-
sum quidam descriperunt auctores (II), formulas concinnandi,
principiis pharmaceuticis sive unice esse superfluendam, quod
novam itaque eamque haud minimam Medico præbet hujus
scientiae commendandæ rationem.

6) *Anatomia* aliis *Zootomia* nuncupata, sive doctrina
formam, nexum atque structuram partium corporis in primis
humani exhibens, eo curatius omnino est investiganda, quo
certius jam dudum evictum est, omnem, quæ huic non inni-
tatur, Physiologæ scientiam valde mancam esse ac dubiam ex-
merita.

merisque hypothesis fere conflatam. Quod etenim Geographia & Cosmographia Historico præstat, id sane Anatomia Physiologo. Non igitur mirum Anatomiam semper suis Medicinæ doctoribus quam maxime commendatam. Laudanda itaque eorum sane sunt merita qui suis animadversionibus, descriptionibus atque iconibus non modo ipsam locupletavere disciplinam Anatomicam, sed etiam aliorum sublevavere studia. Quantu[m] namque in hac re æstimanda sit repetitio eorum, quæ antea seire nobis licuit, nemo non videt, qui partium minutissimarum mirificas connexiones ac rationes diversis distinctas nominibus, difficillime memoria continendis, vel paululum novit (viii). Ipse habitus live methodus corpora animalium secandi a quibusdam scriptoribus seorsum explicatus comprehenditur (nn), multo autem magis præstat bene instruto vii præceptore, qui diuturniore usu atque habitu istas demonstrationes & promptius & curatius instituere didicit. Scire autem licet Anatomicam doctrinam non tantum mortuorum hominum corpora secando comparari, sed etiam ex incisione animalium brutorum, quæ Anatomæ comparatæ nomine significatur, atque vivificationibus bestiarum, nec non variis casibus Chirurgicis rite atque accurate examinatis esse hauriendum. Quantum Anatomæ comparatæ debeat Physiologia, egregia quidem laudatissimi probant CUVIER opera (oo); sed nihilo

C

minus

(viii) Legem in Prussia olim latam magnopere laudare non dubitamus, qua Chirurgis, senioribus quoque, præcipiebatur, ut quovis anno cursum, sicut appellari solet, insisterent Anatomicum. Cf. J. C. A. THEDENS unterricht für die Unterwundärzte. Berlin 1782.

(nn) FABRICIUS, CASSEBOHM, LYSER cet.

(oo) Leçons d'Anatomie comparée de Cuvier recueillies & publiées sous ses yeux par C. Dumeril. Paris An VIII.

minus probe cavendum fuisse Cel. quondam MURRAY (*pp*) ne observationes ex Anatomia comparata defumtae temere ad Anatomiam humanam applicentur, vel ne eandem in omnibus animalibus phænomenorum esse credas rationem (*qq*).

Secundum diversa organa quibus constat humanum corpus, quæ seorsum pertractari solet atque explicari, in diversas Anatomia dividi solet disciplinas, propriis distinctas non minibus; quarum haud pauci iisque celebres existent Monographi, licet conjunctione quoque apud alios totam disciplinam excutam videamus scriptores. In septem partes Anatomia vulgo quidem dividi solet, at cum Splanchnologiae, cuius *objectum* esse viscera cavitate quadam contenta Etymologia vocis docet, tribui soleat, quod ad reliquias partes referri nequit, utpote integumenta, bursæ mucosæ, adeps, nec non sensuum organa, quæ visceribus minime annumerari posunt regius in novem dispisci posse partes videtur.

A) *Osteologia* s. Ossium doctrina duplice pertractari solet ratione, sive enim siccata sive recentia describi possunt ossa; recentis quidem hujus Osteologie, RIOLANI industria pri-

mium

pp) Tal om de på Djur anfördde Röns och Försk's opålitlighet vid tillämpningen på Människans Kropp, af J. A. MURRAY. Stockh. 1772.

qq) Scimus quidem Laudatissimos suisce Viros, qui Anatomiam ad Medicinam Theoreticam referrent. (Cfr. Recens. in Allg. Litt. Zeir. Ergänz. Bl. 1800 N:o 117); at cum Anatomia per se theoriam Medicinæ non contineat, non dubitavimus eam inter auxiliares doctrinas enumerare.

num exultat, utilitatem Cel. Winslow (rr) egregie exposuit, cui ideo utrique addiscendae diligentem adhibendam esse curam nos quoque jure svademos.

B) *Syndesmologia* s. Ligamentorum doctrina, cujus in variis externis s. Chirurgicis affectibus discernendis maxima est utilitas, quoad partem quidem una cum Osteologia sicca exponi potest, specialior autem atque accurrior ejus cognitio nonnisi in recentibus ossibus & sub sectione cadaverum colligitur.

C) *Myologia* ea dicitur Anatomiae pars, quæ musculorum tradit descriptionem, tam quoad situm, formam ac numerum, quam quoad usum. Quantum autem praestet utilitatis non tantum ad varia vitae phænomena explicanda, sed etiam ad variorum morborum indolem intelligendam, nemo est qui non perspiciat.

D) *Dermatologia* sive *Anatomia integumentorum*, ad quam præterea referri commode possunt inquisitiones bursarum mucosarum membranæ adipolæ, ipsiusque adipis nec non Aponeurosum, vaginalum, tendinum ac membranarum cavitates majores visceraque ipsa investientium investigationes; quæ omnia ad Physiologię pleniorē cognitionem summe sunt utilitatis.

E) *Splanchnologia*, ad quam vi vocis strictius referenda est doctrina de visceribus, quæ cavitatibus continentur, capi-

tis scilicet, thoracis & abdominis, princeps fere censenda est pars totius Anatomie, eaque subtilissima, utpote quæ prima quasi initia ac fundamenta exhibet doctrinæ physiologicæ, cuique ideo curatius intelligendæ atque in memoriam revocandas summa laxe sollicitia est invigilandum. Quo itaque subtilius eadem facit elaborata, quoque diligentius pervestigata, eo etiam clarius intelligi potuere functionum corporis humani demonstrationes. Neque ad hocce argumentum illustrandum, dummodo caute prudenterque illa utamur, minima laus est Anatomie comparatæ.

F) *Aesthetiologia* eam merito appellari Anatomiae partem etymologia vocis docet, quæ instrumenta sensuum speciatim pertractat; sensum autem esse exponendam ideo putamus, quia commode ad reliquas Anatomicas disciplinas ista organa referri nequeant, & quia multa præterea ad oœconomiam animalium specialius explicandam ex eorum junctim considerationum historia hauriri possunt. Sit itaque venia novæ distinctionis denominationisque!

G) *Adenologia* s. Anatomia glandularum, quæ ad explicandas varias secretionum rationes non tam utilis est quam necessaria, tot partes continet quot diversa glandularum genera.

H) *Angiologia* s. vasorum doctrina non tantum vasa siccata sangvifera, Arterias & Venas, sed etiam Vasa lymphatica deseribit ac pertractat. Quanta recentiori hoc nostro ævo haec doctrina ceperit incrementa, quantaque inde toti rei Medicæ accesserint emolumenta, præ reliquis immortalia testantur HAELEKI, WALTHERI, MASCAGNI, CRUIKSHANK, SOEMMERING, cet. opera. Iis namque non tantum Physiologi in expi-

explicandis phænomenorum organismi rationibus, sed etiam Pathologi ad intelligendam abstrusam morborum indolem, plus debent quam innumeris reliquorum Anatomicoram laboribus, ne dicamus quanti ad operationes plerasque Chirurgicas sint pretiū. Huic itaque disciplinæ magnam imo maximam operam dare futurum Medicum decet, idque ita ut Arteriarum cognitionem familiarissimam sibi reddat, minime tamen neglecto aut Venarum aut Vasorum lymphaticorum studiose examine.

I) *Neurologia* s. Nervorum corporis humani historia ultimam exhibet Anatomæ partem, quæ ad intelligendum insprimis mirabilem partium organorumque consensem, indeque derivandos incomprehensibiles interdum symptomatum successiones arctosque nexus, summae est utilitatis, diligenterque ideo investiganda. Maxime autem necessaria est disquisitio non modo originis nervorum sed etiam plexuum atque gangliorum investigatio, subtiliores vero ramulorum nerveorum distributiones prout Medico clinico cogniti non æque necessariæ iis, qui Anatomiae ex professo incumbere cupiunt, merito relinqu possunt.

7. *Historia Medicinae* inter præcipitas scientias Medicinæ auxiliares tanto majori referri debet jure, quanto certius est, plurima eaque præstantissima, ex eadem, ad Medicinam faciendam, depromi posse subsidia uberrimosque ceteroquin fructus. Sive enim vis ejus ad arrogantiam suppressiā atque utilissimam in Physicis rebus secp̄in excitandam egregia consideratur, sive memorabiles periculorum institutorum eventus, ex quibus fideliter adumbratis plus uno die didicerunt artis magistrī quām propria multorum annorum experientia, justa penitentiarē lance, maximas fane laudes desideratissimamque utilitatem Historiæ Medicinæ faltem pragmaticæ esse adscriendas, summo urgetur jure.

PARS III. MEDICINA THEORETICA, quæ principia vel fundamenta ipsius artis salutaris tradit, non modo methodo philosophicæ sed etiam sanæ rationi atque experientiæ consentanea, tanto opportunior tantoque utilior est Medicō futuro, quanto plus ipsum decet mere empiricam istam agyrtarum ac iatraliptarum fugere medendi methodum, quæ sola ntitur experientia, omnibus, quamvis humano ingenio familiaribus, & quasi sponte se se obtrudentibus, ratiociniis atque consequentiarum disquisitionibus derelictis aut reiectis. Hæc autem ita explicari nolumus, quasi constructiones istas Metaphysicas a priori ut dicere solent tantummodo confitas in Medicinam sive practicam sive theoreticam introducere vellemus; nam neque SCHELLINGUM (ss) Celleberrimum certe hujus argumenti auctorem, neque TROXLERUM (tt) nobismet placuisse, vel nostram qualemcumque at minime præcipitatam convertisse mentem lubenter fatemur. Quamobrem monuisse sufficiat, eam in Medicina Philosophandi methodum ex nostra quidem mente magis sive commendandam, quam in physicis rebus laudabilissimus ille egregie adeo descripsit BACO DE VERULAM (uu) cuiusque dogmata ad Medicinam applicare felici cum successu conatus est Cel. ZIMMERMANN (vv). Ita scilicet in omnibus mox enumerandis disciplinis Medicinæ theoreticis versari juvat ac si Physicam in genere tractaremus.

1. Phys.

ss) Erster Entwurf eines Systems der Natur Philosophie. Jena u. Leipzig 1799.

tt) Versuche in der Organischen Physik. Jena 1804.

uu) De Augmentis scientiarum L. IX. & Novum organon scientiarum in Oper. Ed. Lips. p. 1—483.

vv) L. c.

1. *Physiologia*, vel forsan *Organologia* s. *Biologia* potius dicenda, est scientia phænomenorum viriumque corporum organicorum in genere, atque corporis humani in specie; quod itaque *Physica* respectu corporum in genere, eujuscumque fuerint indolis præstat, id *Physiologia* respectu vitæ, mirificæ iustius proprietatis, quam quibusdam tantummodo dedit rerum creatrix natura corporibus. Absolutissimam tanto potius Medicum oportet sibi comparare hujus doctrinæ cognitionem, quanto præstantiora atque evidenteria, ad intelligendam morborum indolem, inde capere potest subsidia. Quod autem de partibus Medicinæ Theoreticis in genere monuimus, in *Physiologia* speciatim esse observandum, merito svademos, præci-
puaque ideo ejus fundamenta ex *Physica* tam generali quam experimentali nec non ex *Chemia* præsertim *Zootica* sive animali esse querenda. Nam neque Metaphysicam neque pure mathematicam methodum huic profuisse doctrinæ non tantum experientia, sed etiam fana evicit ratio, de quibus qui persuaderi voluerit, sine præoccupata opinione adeat aut mox citatos naturæ Philosophos, ut appellari amant, aut Celebres S. dæ sic dictæ Iatromathematicæ auctores KEILIUM (ww) BER-NOULLI (xx) cet.

2. *Hygieine*, quo nomine ea appellatur Medicinæ pars, quæ non tantum in conservanda valetudine versatur (yy), sed etiam

ww) *Tentamina medico-physica*, qaibus accessit medicina statica Britannica. London 1718. 8.

xx) Opp. Lausann. 1742. 4.

yy) Hanc Medicinæ partem Cel. Hufeland recentius Macrobioticen nuncupasse omnibus iam notum est.

etiam rerum sive diutarum non naturalium efficaciam in corpus humanum inque ejus functiones docet. A Physiologia quidem inseparabilis est, quia phænomenorum in corporibus organicis fere nullam fieri posse mentionem, per se liquet, nisi simul rerum istarum non naturalium fiat commemoration, at id o tamquam seorsum pertractari solet, quia valetudinis conservandæ inde quoque deducuntur præcepta.

3. *Pathologia generalis* quoad corpora morbida easdem respicit questiones ac Physiologia quoad corpora sana; pertractat nimurum phænomena aegritudinum in genere earumque diversas rationes quoad discrepantiam generalem, quoad ortum ac genesim, quoad phænomena sive Symptomata, quoad causas & deum quoad signa. In tot igitur abit partes quot sunt harum rerum rationes diversæ scil. in A) *Nosologiam generalem*, quæ differentias morborum tradit generales; B) *Pathogeniologiam* (22) quæ ortum ac genesim morborum generatim explicat; C) *Symptomatologiam*, quæ phænomena status corporis morbos Symptomata jam dudum appellata enumerat ac disquirit; D) *Aetiologiam*, quæ in causis morborum eruditis versatur & Pathogenesis, si hoc verbo liceat uti, clarius interpretatur; E) *Semeioticam*, quæ signa explicat, quibus dignosci possit status morbosus aut praesens aut praegressus aut futurus,

4. *Theo-*

(22) Recentioribus temporibus hanc Medicinæ theoreticæ partem elaborate cœperunt duo Celebres viri nec verbis nec sententiis ceteroquin congruentes HUFELAND & RÖSCHLAUB, de quibus cfr. Allg. Litt. Zeit. 1797. N:o 27. & utriusque opera HUFELAND Pathologie I. B. Jena 1799. & RÖSCHLAUB Untersuchungen über Pathogenie I.—III. Th. Frankfurt 1800.—1803. Egregium hoc pertinens nominari quoque meretur opusculum Cel. WINKELMANN Entwurf der dynamischen Pathogenie. Braunschweig 1805.

4. *Therapia generalis* ea est Medicinæ theoreticæ pars, qua generaliter definiuntur medendi præcepta respectu non modo ægritudinis tollendæ, sed etiam virtutis remedii adhibendi, vel, ut artis periti loqui amant, quæ *indicationum* atque *indicatorum* exhibet notitiam. Primaria ideoque hujus doctrinæ capita versantur circa *indications* ut vulgo dicunt *curatorias* inquirendas, & circa remediorum facultates ad istas *indications* accommodandas. Eruuntur quidem illæ *indications* ex indole status mōrbosi, sive aberratione functionum lēsafarum a statu sano; hinc tot assumere solent *indications* quot functionum & quot virium admittantur genera. Remediorum autem vires vario quidem modo detexerunt Medici: multa sane remedia casui fortuito vel populis barbaris debemus, sed neque desunt, quæ ex analogia vel post instituta cautiora quedam tentamina in usum venerint. Paucissima sane methodice fuere admissa, quod scilicet ex proprietatibus atque partibus remediorum *constitutivis*, sicut Medicis loqui placet, & per sensus & per chemicas operationes primum exploratis, ad vires atque facultates deinde fuisse conclusum, perplurima etenim empirice tantum & per analogiam dijudicare didicimus. Quoad siue in duas partes dispisci solet Therapia: A) *Prophylacticam* nimirum, quæ remedia exponit ad morbos præcaudendos inservientia, & B) *Curatoriam*, quæ jam obortis & subsistentibus revera mōrbis medendi monstrat methodum, ideoque curam morborum specialius respicit. Quoad remedia adhibenda in tres olim partes diducta est Therapia (a); ut una eset; quæ viatu; altera, quæ medicamentis; tertia, quæ manu medetur. Primam Diæteticam, secundam Pharmaceuticam, tertiam Chirurgicam appellabant. Hisce vero quartam

D

tam

a) CELSUS in Prefat.

tam addere merito oportet, quam Physicam nuncupare sanas
svadet ratio, quia remedia proponit neque diæticis, neque
pharmaceuticis, neque chirurgicis commode adscribenda, qualia
e. g. Electricitatis, Galvanismi, Gasium, Aquanum Medicat-
rum, Balneorumque varii generis (b) usus exhibet. Non mi-
nus inconfutum quam superfluum foret de hujus doctrinæ ad
Medicinam faciendam necessitate longa persuadere oratione,
cum neque barbitonibus neque Iatraliptis sua defint dog-
mata therapeutica (c); nam justa Therapeuticæ & ad natu-
ram accommodata minime vero arte vel abstracta speculatio-
ne conficta, tutissimum unicunque admittendum Medicinæ fa-
ciendæ præbet fundamentum.

5. Quibus Chirurgicas disciplinas a Medicina quodam-
modo sejungere placet, ii manuales istas artes quoad sua præ-
cepta theoretica inter Medicinæ disciplinas theoreticas ponere
omnino debent. Continebit vero hæc Medicinæ theoreticæ
pars non modo generalem operationes Chirurgicas instituendæ
rationem, sed etiam earum indicationes atque effectus, ex qui-
bus perspiciatur quo in casu & quibus cum conditionibus ad-
hiberi possint.

PARS IV.

(b) Balnea, quorum mentionem fecisse vidimus Cel. NICOLAT in libro
ab eo edito sub titulo: Recepta u. Cucarten. Jena 1780. p. 161.
sq. terrefaria, incongruo forsan nomine appellata, huc quoque esse
referenda facile patet.

(c) Hac de re legi merentur quæ Cel. GRUNER in suo Almanach für
die Aerzte pluribus locis jocose satis placuit.